



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 61. S. Francisci Translatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII.
A.C. 1230.

§. LX.

Romani Papam revocant.

Gest. Greg. ap. Rain. n. 6 Hujus anni hyeme Tiberis, imbrum copia inflatus, & extra ripas se se ejiciens, prima die Februarii, anno millesimo ducentesimo trigesimo, in domos urbis usque ad Basilicam SS. Petri & Pauli influxit. Non nulli homines, & jumenta perierunt, commeatus, vinum, supellex corrupta, quin etiam ad malorum cumulum fluvius vim ingentem immanium serpentium intra urbem evomit, qui deinde computrescentes, infecto aere, funestam luem intulerunt. His prodigiis perterriti Romani, & timentes, ne omnes occumberent, ad Pontificis pedes confugerunt, missisque communi consensu Perusum Legatis, ut in urbem rediret, suppliciter petierunt. Annuit Gregorius, & prima Hebdomada Quadragesimæ, mense Februario exeunte, maxima exultantis populi lætitia, urbem intravit, solemnī pompa exceptus. Mox ut inedia attritis succurreret, frumentum ex vicinis partibus comportari jussit.

Ric S. Ger. p. 1005.

§. XLI.

S. Francisci Translatio.

Mense Majo hujus anni millesimi ducento-

centesimi trigesimi, Fratibus Minori-
 bus Assisi Capitulum suum generale
 celebrantibus, peracta corporis S. Fran-
 cisci translatio, cujus solemnitatem ut
 augeret Papa, Indulgentiam illis, qui
 publice procederent, & novæ Ecclesiæ,
 quo deferendæ erant sacræ Reliquiæ,
 privilegia concessit. Ergo die vigesima
 quinta Maji, in Vigilia Pentecostes, cor-
 pus Viri sancti ex Ecclesia S. Georgii,
 ubi statim depositum fuerat, expromi-
 tur, & in Ecclesiam novam, a S. Fran-
 cisci nomine dictam, pulcherrimo pro-
 cedentium ordine, deportatur. Eccle-
 sia S. Georgii S. Claræ, ejusque sacris
 Virginibus tradita; tum ut intra mœ-
 nia tuto degerent, tum etiam, ut laxius,
 & commodius, quam ad S. Damianum,
 habitarent. Magistratus, & cives Assi-
 sinates, suspicionibus acti, ne Transla-
 tionis hujus specie sibi Sancti Fran-
 cisci corpus vel totum, vel aliqua
 ejus pars auferretur, vi adhibita,
 illud occuparunt, nec ab aliis qui-
 buscunque id deferri passi suos ipsi hu-
 meros sacro oneri subjecerunt, quod
 illius diei lætitiâ haud modice per-
 turbavit.

Sæcul. XIII.

A. C. 1230.

vit. per
 S. Bonav.

c. 13.
 Vad. an.

1230.

H h h 3

§. LXII.